



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Decretvm Vt omnes Regularium Superiores suos subditos,  
& Religiosos persaepe commoneant de iniuncta omnibus  
obseruantia, & executione Apostolicarum Constitutionum,  
& Decretorum ad Officium ...**

**Urban <VIII., Papst>**

**[Romae], 1645**

XXI. Iurisdictio Inquisitorum haereticae prauitatis, in eos qui ad ordinem Presbyteratus minime promoti, Missas celebrant, & Poenitentiae Sacramentum ministrant. Gregorius Papa XIII. Ad perpetuam rei ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10826**

Edita A. D.  
1574.

**Iurisdicção Inquisitorum hæreticæ prauitatis, in eos qui ad ordinem Presbyteratus minime promoti, Missas celebrant, & Pœnitentiæ Sacramentum ministrant.**

**GREGORIVS P A P A XIII.**

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**Exordium.**

**O**fficij nostri partes sedulo præstare tenemur, vt dubia, quæ varijs doctorum opinionibus hinc inde diuersa sentientibus agitantur, ad iurisdictionem Sanctissimi Officij Inquisitionis hæreticæ prauitatis pertinent, nostræ declarationis oraculo ( prout ratio ipsa suadere videtur ) dilucidentur, vt nulla cuiquam dubitandi occasio in posterum relinquatur.

Dubium, au-  
qui non sunt  
in Ordine  
presbytera-  
tus & missas  
celebrat &c.  
possint ab In-  
quisitoribus  
hæreticæ pra-  
uitatis puni-  
ri.

**§. I.** Ad aures nostras si quidem nuper peruenit, multos esse qui dubitent, an contra eos, qui in sacro Presbyteratus ordine non constituti, Missas celebrare, confessiones audire, ac absolutionem impartiri, ac si fuerint, per officium Sanctissime Inquisitionis hæreticæ prauitatis in Hispaniarum Regnis institutum, & illius Inquisitores procedendum, vel etiam animaduertendum sit; ac hi, qui talia patrauerint, per Inquisitores prædictos puniri

niri debeant. Nam etsi multorum sententia affirmetur, prædictum delictum ab Inquisitoribus plectendum esse, hisce præsertim temporibus, quibus heretici temere audent proferre, etiam seculares eorum Sacramentorum ministros esse posse, non desunt tamen hi, qui contrariæ adherent opinioni. unde plerunque per eorundem Regnorum Inquisitores, diuersa feruntur in huiusmodi causis suffragia.

§. 2. Nos itaque, vt omnis difficultas dubitatioque tollatur, animaduertentes, eos qui Presbyteratus ordine non sunt insigniti, & se in administrandis dictis Sacramentis ingerunt, facto catholicam veritatem impugnare, quæ solos Presbyteros ministros eorundem Sacramentorum constituendo, illis duntaxat, quibus eadem munera congruere existimauit, committi voluit, eorum qui in Presbyteratus ordine non constituti Missas celebrant, ac confessiones audiunt, vt præfertur, cognitionem & punitionem, etiã ad Inquisitionis officium, & Inquisitores antedictos pertinere, & quod huiusmodi delicti ratione, aduersus eos inquirere, & procedere, ac culpabiles repertos punire, officium, & Inquisitores prædicti valeant, Apostolica auctoritate præsentium tenore perpetuo declaramus, & diffinimus.

Declaratio  
quod possint.

Et ita, & non  
aliter iudi-  
cerur.

Quibuscunq.  
non obstan.

§. 3. Et ita ab omnibus & singulis Ordinaris, & delegatis iudicibus, sublata eis & eorum cuilibet quavis alia iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari & diffiniri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non iuribus municipalibus legibus regnorum prædictorum pragmaticisq. sanctionibus, ac statutis & consuetudinibus Ciuitatum & locorum quorumcunque dictorum regnorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis forsitan per nos, ac quoscunque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, sub quibusuis verborum formis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis, etiam Motu proprio, & ex certa sciëntia, seu de Apostolica potestatis plenitudine, vel ad supplicationem Regum, Ducum, & aliorum Principum concessis & confirmatis, quibus omnibus illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore mansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque con-

tra-

trarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die vj. Augusti, millesimo quingentesimo septuagesimo quarto. Anno à Natiuitate Domini, Pontificatus autem nostri Anno tertio.

D. P. An. 3.  
6. Augusti.

L X X X I.

Quod Inquisitores hæreticæ prauitatis, & locorum Ordinarij, eos qui ad presbyteratus ordinem non promoti, Missas celebrant, vel Sacramentum Pœnitentiæ ministrant, præuia degradatione, Curia seculari debitis ab ea plectendis pœnis tradant.

C L E M E N S P A P A V I I I.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Edita An. D.  
1601.

**E**T si alias fel. rec. Paulus Papa Quartus prædecessor noster, ad nefariam & sacrilegam quorundam hominum temeritatem coercendam, qui cum ad sacrum presbyteratus ordinem minime promoti sint, Sacerdotis tamen auctoritatem sibi temere assumentes, Missarum celebrationem vsurpare, & Sacramentum Pœnitentiæ ministrare præsumunt, decreuerit huiusmodi delinquentes à San-

Paulus I V.  
cuius Bullam  
nō inueni de  
creuit ab In-  
quisitoribus  
tradēdos es-  
se Curia se-  
culari, aucto-  
ritatem Sa-  
cerdotis vsur-  
pantes.

C 4. Etz